



Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv
Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor**

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

22. Videt procul absens octo Christianorum necem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10854

sed iis tantum quos Deus peculiari suo magisterio imbuerit, illius intelligentia seruetur. Atque hinc nimium se prodit pulpe huius nostræ quam sit infirma, & debilis indoles, quam ægra & fragilis natura. Nam multi pro sua erga me singulari benevolentia institerunt apud me importunissimis precibus, ne terras adirem tot periculis exitiabiles; qui repetitis suasionibus, & lachrymis, cum nihil agerent, præsentissimas saltem antidotos quibus præmunirer obtruserunt, quarum prorsus admisi nullam; ne me vna timoribus prægraharem; in promptu mihi, metus omnis remedium esse; nullo me ad vitam defendendam egere, quam Dei vnius clementi præsidio credidisset; de illius mihi tantum fiduciâ decessurum; quantum remediorum accessisset. Proin hoc solum ex iis me petere, ut essent mei memores apud Deum, fore id mihi testamentum à beneficiis antidoto quavis potentius.]

22. Ab Carorum ergo complexibus, lachrymis, & dehortatione inutili iam liber, nauim cum selectis magno ex numero consendit, in eandem cum illo ærumnarum, vita, mortisque aleam expeditis. Ibant alacres, cursumque promouebant in tractu illo milliarium centum octoginta, quibus absunt à Mauro insulæ Moluccenses, cum repente clamores tollit Xauerius, direptisque à pectore vestibus. Hei mihi! Iesu! heu miseri! ut illic immaniter necantur? proh! impium facinus: & eiusmodi vocibus, vultu, maris vnam in partem defixo, triste quidam, sed nautis ignotum, & vectoribus deplorat. Accurrunt attoniti, quærent quid rei? quam cædem? & ubi prospectet? Se quidem nihil planè conspicari. At is extra se positus, illic erat, ubi funesta illi Deus monstrabat spectacula, quæ truncis, & querulis vocibus indicarat, mox sibi iam redditum, eadem rogitar cum pergerent, verecundatus, & silens ad precationem se recepit; sed his paulo post, quod non potuerant ex illo rescrire, manifestè nimis obiectum est: vnam Mauri ex Insulis radebant, cum Lusitanorum octo cadavera in vado cernunt à prædonibus occisorum, illösque fuisse agnoscunt, quibus mari longissime semotis intenderat oculos, & indoluerat Xauerius. His loco eodem cum fletu sepultis, cruce tumulum erectâ signant, & portum capessunt.

23. In eorum aduentu comitas barbarorum Xauerij magis constanti fiduciae, quam Ternatensium metui respondit: excedentes accepit, diuino, haud dubitem instinctu, confertis ad littus populi concursus, magnis affectus, gaudij; & reverentia argumentis, & festis vocibus in Regno sanctum Patrem adesse patriâ linguâ gratulantibus, quæ ut magno illum Mauri. suffuderunt pudore, ita socios plurimum confirmarunt. Inde manu acatro confessim adiecta percusse pagos, & villas prædicatione diuinorum, & quæ populus in plateis occurrisset frequens, illic consistere; fidei symbolum, precésque alias, Malaio sermone decantare, qui exterior non erat tamen audientibus ignotus. Agendi ratio non prius spectata, & rerum nouitas, quas cantus sonabat, concursum statim

22
Vider pro-
cul absens
octo Chri-
stianorum
necem.

23
Excipitur,
prædicatur,
periclitatur
in Regno
Mauri.

N 2 ad